Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2459
Quelle:
Copyright:

liter repreſentari videatur eccleſia. — Decreta ſancte ſinodi pro morum reformacione ſalubriter edita non ſuſcipit. uel ſi ſint ſuſcepta non ſeruat. — Eccleſiam non mediocriter calumpniatur. aduerſus eam non parum eſt impius et inordinatus, dum ad vniuerſos eccleſie principes literas dirigit atteſtantes eccleſiam in eum varia crimina falſo confinxiſſe. — Negat eccleſiam congregatam ſupra ſe poteſtatem habere. — In criminibus notorie eccleſiam ſcandalizantibus admonitus ut ſe corrigat manet incorrigibilis. His addit et Haereſim, finitque in textu Epiſtolae Concilii *Africani* ad *Coleſtinum* Papam: *nec a nobis excommunicatos vltra in communionem velitis accipere.*

XXIII. *fol.* 220. Collectanea Sententiarum Moralium e PP. maxime ad Praelatorum officia pertinentium.

XXIV. *fol.* 229. Series ſive *Cedula* duplex *Propoſitionum*, quarum prior XV. altera IX. Theſes Poteſtatem Papae ſupra Concilium Generale affirmantes continet. Concluſiones item II. prior: *Quod recedere de neutralitate ſeu ultralitate* (utralitate?) *ſit neceſſarium.* altera: *Quod de neceſſitate ſalutis ſit eſſe cum domino eugenio.* Theſis I. incipit: *Claves eccleſie ſoli petro et pro ſe ſunt date* &c. Ad finem horum omnium: *Sequitur declaratio circa propoſiciones prime cedule ſuperius annotatas, cujus principium: Conſideracio prima que reſpicit primam propoſitionem ſuperius poſitam in principio videlicet illam, Claves eccleſie ſoli petro* &c. Atque ita per ordinem omnes illae Theſes et Concluſiones memoratae magna eruditione theologica examinantur et refelluntur. Ferventibus *Baſileae* turbis *Eugenioque Ferrariae* degente Examen iſtud inſtitutum eſſe, quivis videt. Aſt, ut illud *Bartholomaeo* Carthuſiae *Ruremund.* Priori tribuam, cum illud facit, quod Autor aliquoties ad *Conſiderationes* et *Advertentias* ſuas, quales *Cod.* DCCCCLXIII. damus, provocet, tum, quod etiam Scriptum proxime ſequens ad illum pertineat.

XXV. *fol.* 247. *Auiſamenta eiusdem patris prioris Ruremunden. miſſa ad capitulum generale.* Initium: *Oculo circumſpectionis late circumducto anguſtat me undique conſideracionis latitudo* &c. Multus eſt Autor in commonefaciendis Suis, ne temere inter *Baſileenſes* et *Eugenium* aliquid ſtatuant, nec dicant, *quod qui reſident ſub dominio illius teneant cum illo, et qui ſub dominio alterius teneant cum alio, ne ex hoc totus ordo videatur fouere diuiſionem lamentabilem ſciſmatis* &c. Manifeſte tamen ſtat pro Concilio, unde nec perſuadere ſibi poteſt *Bullam miſſam ſtudio montiſpeſſulani de ſcitu et voluntate Domini Eugenij ſic nuncupati emanaviſſe.*

XXVI. *fol.* 250. Ejusdem Tractatus de Autoritate Concilii gen. ſupra Pontificem, qui incipit: *Victus modeſtia imperantis* &c. et legitur *Cod.* paullo ſupra cit. Hic vero ſubſcriptus eſt: *Explicit iſte tractatus per quendam religioſum fra-*